

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

TM 0327

Theodor Mehlmann

5. Juni 1991

gekauft vom Antiquariat

Reinhold Kuballe / Osnabrück

Enthält
die vier Doktor-Disputationen
von
Johannes Colberg
Georg Lehmann (1616-1699)
Johann Adam Schertzer
Elias Sigmund Reinhardt
gehalten am 24. April 1666
(vgl. Colberg A 2 b / 3 a !)
in Leipzig

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT
MAGDEBURG
ACQUISITION DEPARTMENT



SUMMARIA REPETITIO
Veræ Doctrinæ

^{ex}
Verbo DEI & Theologo-
rum scriptis

^{DE}
LIBRIS SYMBOLI-
CIS VEL FORMULIS CON-
FESSIONUM PUBLICIS EC-
CLESIAE CHRISTI IN GENERE,

Ad jussu pl. Reverendæ Facul-
tatis Theologicæ in Academia Lipsiensi in Char-
tam projecta.

*Loco Thematæ ordinarii pro gradu Do-
ctoris impetrando
exhibita.*

Cum Consensu & approbatione Rev. Facultatis publi-
ci juris facta.

^à
L. JOHANNÈ COLBERG,
Pastore patriæ Civitatis Colbergensis
in Pomerania.

LIPSIÆ,
Typis JOHANN-ERICI HAHNII.
ANNO M DC LXVI.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

THE UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE
LIBRARY

JOHANNES COLBERG

777 52 0511





In Nomine JESU!

Vera Christi Ecclesia, in quâ verbum Dei purum in fundamento, & Sacramentorum administratio inconvulsa, retinetur, & politia vel Respublica, arctissime se invicem complectuntur: Illa in hac & per hanc, hac propter illam, à Deo sustentatur: Ut ut magna inter visibilem Christi Ecclesiam, & politiam conspiciatur diversitas in ordine, gloriâ & præfidiis. Ibi Christus caput est, qui tanquam immortalis nullo successore eget, Psal. 110, 3. Hic mortalis præest, cuius conditio mutatis vicibus, successores requirit. Politicæ societatis gloria est Consilii præstantia, victoria, omnium rerum affluentia. Populi Dei gloria est Crux, Dei agnitio, & timor, Esa. 33, 6, invocatio, successus in vocatione Act. 22, 24. Reipublicæ præfidia sunt omnis generis arma, apparatus bellici, munitiones, Currus, Equi Psal. 20, 8. Civitatis Dei arma non sunt carnalia 2. Corinth. 10, 4. non brachium carnale; sed manus Dei, Esa. 59, 1. quam Politicorum judicia, humano more lata, non observant, vide Melanchthonem Tom. 4. operum, pag. 851. Hanc diversitate tamen non obstante, Ecclesia & Politia in multis conveniunt. Primò enim ambæ molestiam patiuntur, à ministris onerosis, morosis, dolosis: *Primi* impietate, & publicis criminibus: *Secundi* consuetudine, & innatâ labe: *Tertii* non solum vitâ sed etiam doctrinâ, vel hac solâ gregem Christi offendunt, 1. Corinth. 5, 1. 1. Cor. 10, 11. 12. 1. Petr. 3. 1. Timoth. 3, 8. 9. *Neutra* vera & viva solum alit communionis suæ membra; sed & arida, spuria, mortua tolerat. *Aliis* volupe est studium piæ doctrinæ, studium retinendæ, tuendæ Concordiæ ad membra ejusdem vel veræ Ecclesiæ; quod est Consensum retinere, in veritate & præstare officium dilectionis, nec distrahere conjunctionem sine necessariâ causâ. pag. 695. *Melanchthon tom. 4. operum.* Matth. 16, 6. 1. Cor. 10, 8. *Nonnullis* in delitiis est desiderium redintegrandæ

grandæ fractæ pacis Ecclesiasticæ, inter partes sibi invicem contradicentes, & separatas, contrariè distantes, 1. Cor. 14, 33. 40. *Quibusdam* curæ cordiqve est, Unitatem fidei reliquam lacerare, animos magis magisq; novis dissensionibus distrahere, corpus discerpere, lites multiplicare, fissuram augere, novumqve schisma disseminare, 2. Thess. 3, 14. 1. Corinth. 5, 7. Contra hæc & similia mala data est Reipublicæ maxima à Deo potestas, sed non omnis & solùm; reservata enim est particula Benedictionis, Civitati Dei, divinitus Ecclesiæ gratiosè concessa potestas. Ecclesiastica dicta non domini, Luc. 22, 6. 1. Petr. 5, 3. Civilis tamen Regiminis Deut. 17, 8. 9. 10. Num. 3. 2. Paral. 26, 18. in N. T. Matth. 18, 17. Joh. 20, 11. 1. Corinth. 5, 4. Non Ergò omnis Magistratui Civili competit de sacris cognitio, & sententiâ, ut aliqui somniant, conquirente Pelargo in *Ideâ L. C. & decidentibus Confessionibus Augustana, Helvetica, Anglicana, Scotiana, Bohemica, Basiliensi, applaudentibus* patribus & Calvino, Martyre pag. 570. citatis in *historia Ecclesiastica Gesseli part. 2. Patrum sententiam cum propriis verbis Ambrosii, Suida, Hilarii, Damasceni vid.* *In endlicher beständiger Antwort wider Pelargum D. Schlüsselburg.* Nec omnis ordo, distinctioqve graduum & officiorum ex Ecclesia cum Anabaptistis tollenda sunt; sed Ecclesiæ etiam relinquendum competens suum jus clavium & commissa autoritas ordinis & jurisdictionis. Hinc in Synodo Carthaginensi c. 15. *ipsi Ecclesiastica δυναστεία* tribuuntur, ad id, ut ex autoritate concessâ ordinare possit in ritibus externis & indifferentibus, in harmonia fidei retinenda, in iudicio, & componendis controversiis; Ob hæc in Synodo jam nominatâ anno 452. constitutum, ut quotannis in singulis provinciis Episcopi (Inspectores, præpositi) conveniant & Synodos habeant de præsentibus Ecclesiæ controversiis. Malum proinde maleferiati tempore Tertulliani (ut videre est in lib. de præscript. adversus hæreticos) potestatem Ecclesiæ vocarunt lenocinium & fucum meretricium. Ad hanc Ecclesiæ potestatem spectare autoritatem conferendi gradus docentibus in Ecclesia & distribuendi honoris, in confesso est apud Orthodoxos, ad Exemplum Christi, Ephes. 4. qui alios constituit Episcopos, Doctores, Pastores. Ecclesia autem sibi concessam divinitus potestatem, contulit in Theologica Collegia, ut per illa exerceatur & usurpetur in Ecclesiæ salutem. Quoniam igitur Rever. Ampliss. Facultati Lipsensi placuit, Gradum Doctoris in Theologia
intra

intra breve temporis spatium nonnullis Candidatis conferre, non debui, vi Juramenti mei, quo, cum Licentiatus renunciarer, me obstrinxeram, hanc occasionem insuper habere. Et benivolam expertus sum R. Facult. Theolog. in admiffione mei, quæ etiam Thema præfens de libris Symbolicis aut Confessionibus publicis mihi proposuit elaborandum. Sed hâc vice, summarie tantum primas quasi lineas ducendo, Meditationis Capita, ob angustiam nimiam temporis aliasq; graviores Rationes potui exhibere. Deus clementissime laboribus his adsit, ne in Domino sint frustranei, nec sine commodo legentium infumantur! Originationes, varias Significationes & Synonymicas appellationes Symbolorum, Librorum Symbolicorum, Confessionum, ubiq; apud profanos & Ecclesiasticos extantes inde transcribere operæ pretium esse non videtur. Sufficit enim rem ipsam tractasse, quam sequenti ordine aggredior. 1. in genere agam de Symbolis & Confessionibus veræ, puræ & orthodoxæ Ecclesiæ. 2. De veræ Ecclesiæ Lutheranae Symbolicis libris in specie. 3. De Ecclesiarum Pomeranicarum Punctis Confessionum usu receptis.

De Confessionibus in abstracto.

THESIS I.

Non attenduntur hoc in loco Confessiones peccatorum, sive publicè injunctæ, quales ἐξομολογήσεις in primitiva Ecclesia frequentes, sive privatim coram Ministro verbi editæ, aut scriptæ coram Deo & Ecclesia, (quales in lib. 13. Confessionum Augustinus exaravit) fuerint; sed Fidei Confessiones, non tamen privatorum aut singularium hominum, vel particularis etiam Doctoris publici, qualis erat Gregorii Pontici Neocæsariensis Episcopi, Origenis auditoris, alias Theodori, Thaumaturgi, Moysis alterius, & Hieron. Martyris dicti, Confessio categorica vera, sancta de una Dei essentia, tribus personis, in Concilio Antiocheno. Qualis etiam Lutheri, Major & Minor Confessio est, ad quam post agnitionem Veritatis, necessitate Confessionis (nisi dissimulatione veritas prodi debet.) etiam cum Confessionis periculo, sed cautè edendam quilibet obligatus est, docente Lutero: Consentientibus unanimiter Patribus, quorum verba citantur in Refutatione historiae Peucerianæ pag. 58. 59. Nec differri debet ad mortem
vel

vel post mortem ejus publicatio, sicut Melanchthon & Major fecisse scribuntur. Ergo Confessiones *publicae* fidei & quidem Ecclesiae intelliguntur, vel formulae Consensus, Consensiones, Declarationes, quae sunt tesserae, Contestationes, confederationes, Symbola, libri Symbolici, scripta Symbolica, Verae, purae, orthodoxae Ecclesiae, partim Oecumenici Universalis Ecclesiae, partim Europaeae in Imperio Romano, aut etiam Provincialis vel Topicae.

THESIS II.

Symbolum describit *Gesnerus* Disput. I. in Formulam Concordiae thes. 5. quod sit nihil aliud, quam publicum verae Religionis Consentientium Confessio. Estque ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαίνόντων λόγων aut Epitome praecipuorum capitum Religionis Christianae, instar Cœnae Symbolicae vel Collectivae, referente *Athenaeo*. *Augustinus* serm. 119. de tempore: Symbolum est breviter comprehensa fidei verae regula, ut mentem instruat, nec oneret memoriam. *Philippus Melanchthon* tom. I. operum p. 390. Symbola vocarunt brevem articulorum seu omnium, seu praecipuorum collectionem. Plura vide sub initium Corporis Doctrinae Pomeranicae. *Pelargus*, in Schola fidei vel Confessionis Christianae, Symbolum exponit, quod in Ecclesia significet aut brevem sanctissimorum aphorismorum Syllogen, aut Confessionem publicam & apertam, quia θεόφιλος Christianus liberè & propalàm ab omni θεοειχθείας grege se abjungit, atque militiae suae Christianae rationem edere non formidat. Remonstrantes superiorem definitionem improbant propter fines ejus gratiâ positos, in Confessionis suae praefatione ita se declarant: Confessiones seu declarationes generales quod attinet, ea aliud nihil sunt, quam clarae ac dilucidae, certaque methodo propositae fidei nostrae expositiones, quibus plures, paucioresve sententiam suam, super Religionis Christianae articulis, seu ore, seu scripto aperiant & Christiano orbi notam faciunt, ad Divinae Veritatis illustrationem, calumniarum, quibus innoxii premuntur, averrunctationem & Ecclesiarum in vera fide & pace ædificationem. *Chytraeus* in regulis vitae: Confessio, inquit, est constans & perpetua voluntas coram Deo & Hominibus veram Evangelii doctrinam profitendi, nec abjiciendi eam, propter terrores, odia, supplicia vel alia pericula, propter hunc finem, ut Deo obtemperetur, & ne vera in terris Dei notitia extinguatur. Similiter *D. Calovius* Theologus de Ecclesia meritis-

simus,

simus, in Critico sacro pag. 8. Confessio fidei est cultus Divinus secundum
præcepti, quo instinctu S. S. ex vera cordis fiducia, & amore erga Dei
verbum pro officii ratione, cœlestem veritatem apertè & intrepidè
profitemur ad doctrinæ S. S. conservationem, fidei nostræ testificatio-
nem, aliorumq̄ve salutarem informationem, tum confirmationem.
Talis Confessionis fidei, Formulas publicas vel Symbola Ecclesiæ
Christi hâc vice in publicum sistimus perpendendas, quarum naturam
porrò scrutabimur.

THESIS III.

Spiritu S. Magistro Doctore & Ductore in omnem veritatem.
Ps. 51, 5. seq. Matth. 10, 10. Joh. 14, 26. c. 15, 8. 16. 27. c. 16. 19. Act. 4, 15.
Ecclesia sancta Ministerio verbi in concipiendis & formandis Symbo-
lis & Confessionum publicarum formulis utitur. Orthodoxi Ministri
verbi, Doctores, Pastores, sunt Autores earum, nec non conscriptio-
nem formularum Confessionum demandantes Magistratus & Prin-
cipes, Confessores subscriptione eos approbantes, & alii acceptantes
ratihabendo fideles. Ad conservationem in valore & vigore libro-
rum Ecclesiasticorum vel Symbolicorum, nec non ad propagationem
in puritate ad seram posteritatem, plura ordinata sunt, & requirun-
tur media. Proportionata media sunt conservandi, incorruptam
confessionem & religionem veram, (asserente *Vedelio* in Arcanis Ar-
minianorum, lib. 2. per totum, dubitantibus Remonstrantibus absq̄
ratione additâ in *Vedelio Rhapsodo*.) Officia omnium Statuum legi-
timè administrata: Aptum natum est officium Ecclesiastici status, cu-
jus necessariæ partes studium & amor discendi Symbola Ecclesiæ suæ
veræ, nec non sedulitas docendi eadem in Scholis, in Academiis, per
prælectiones didascalicas, disputationes Elenchticas, privatas, publi-
cas, in Collegiis & Auditoriis, per Explicationes pro Concione in sug-
gestu. Multum ad hoc conducunt, in Examinibus ordinandorum ex his
informatio, ad ea ablegatio, fidelis obligatio: accedunt semestres
Synodi, inq̄; eis super his solida collatio Synodali. Adjuvant Dn.
Inspectores & Præpositi per Statutorum Synodi & legum Præposito-
rum accuratam observationem, ut & Dn. Visitatores, Examinatores,
Superintendentes, divinâ industriâ succurrentes. Adminiculo esse
poterit librorum Symbolicorum frequentius iterata per Typogra-
phos impressio, ut non modò in singulis Ecclesiis; sed singulis domi-
bus

bus etiam familiisqve Exemplaria, tolerabili pretio comparata, legi, adamari, filiis & domesticis commendari & inculcari queant, id quod D. Cramerus l. 4. Pom. Chron. Ecclesiast. p. 54. factum esse commendat.

THESIS IV.

Posthæc locum tribuit *Vedelius* disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ juris divini est (fusè id probante *Wendelino* in Theologiâ Christianâ, & *D. Jacobo Rungio* in Catechesi.) & per Consistoria exercetur. Creber sanè frequensq; disciplinæ usus, non exiguam Confessionum formulis, conciliare potest autoritatem. Quorsum etiam faciunt Dominorum Patronorum in vocandis idoneis Pastoribus vigilantia, & ad obligandos Candidatos ad Symbola prudentia, Horum conducunt Statuum, provincialium in conventibus provincialibus pia deliberatio, paterna pro libris Symbolicis cura, & provida Thesauri divinitus dati custodia, suggerente id uniuscujusq; conscientia, commonefaciente juramento DEO & summo Magistratui præstito. Congruum medium quoque est Juramentum Religionis, si & Politici, maxime verò Ecclesiastici, ut in Saxonis Ecclesiis adhuc moris est, adstringantur confessionum Formulis, de quo videre est apud *Voëtium* part. 3. disput. selectarum. Quod cum *Remonstrantes*, animadverterent juramenti obligationem ægrè tulerunt & exprobrarunt Gallis in *Vedelio Rhapsodo* p. 77. quod Synodus Aleziana & Charentonensis decreverint, neminem ad Ministerium, nisi interposito juramento (prodigioso ut vocant) se ad extremum usq; halitum perstiturum in sententia Synodi Dordracenæ, & Remonstrantium sententiæ nunquam adhæsurum esse. Sed juramentum improbari nequit in abstracto & in se, licet applicatio ad falsitates Synodi Dordracenæ adjuratio in notorios errores, abusus sit nominis Divini. Summi Magistratus, Statibus & Subditis data sacro-sancta promissio maximam in conservandis & propagandis Confessionibus publicis, Ecclesiæ, sub dominio suo latentis aut florentis, operam & utilitatem salubriter collocare potest. Si secundum pacta & constitutiones per Collegia Politica Ecclesiastica judiciorum, per mandata, officii sui divini, divinitus dati administrationem impertire studet Magistratus, nec eam subvertere finit.

THESIS V.

Neque id contra conscientiam Magistratus, quæ talis, aut quæ
Chri-

Christiani, æstimandum erit, licet alterius & dissentientis Religionis sit, & alienæ à libris symbolicis Ecclesiæ Provincialis opinionis. Aliàs nullus Magistratus diversam & contrariam sibi Religionem tolerare deberet, aut Ecclesiis aliis præesse, salvâ conscientiam posset, (quod est contra experientiam in Imperio Romano & Regno Polonia, apud Hollandos, &c.) nec potestas esset Magistratui, libertatem Exercitii diversæ Religionis Professoribus concedendi. Eo ipso enim dum Magistratus promittit libertatem exercendi publicè Religionem secundum Confessiones: ejusdem Exercitii & Ecclesiæ jura, statuta, leges, confessiones, consuetudines usu receptas aliis difformes totius illius Ecclesiæ ut corporis membrorumq; sartum tectum servandum liberum Exercitium confirmat, nec non eorum tuitionem, protectionem, & contra violatores aut petulantia ingenia defensionem, per constituta aut constituenda, in eâ Ecclesiâ, ab ipsius Ecclesiæ membris jure & nomine Magistratûs, si non jure & nomine Ecclesiæ, exercenda, ne impunè pro lubitu Ecclesiæ Doctores vel auditores Unitatem fidei, doctrinæ confessionum, Ceremoniarum, pacem & tranquillitatem communioais, cujus esse volunt partes, quamdiu tales haberi volunt, turbent, lacerent privatim, publicè, per privatas opiniones, Schismata, dissensiones, distractiones, quod privatis, corpori huic adherentibus proprio arbitrio contra totius corporis consensum, non competit: præcipuè si confessionum formulæ à Magistratu æstimatæ sint salutares, tolerabiles, privilegiis & promissione sanctâ confirmatæ; Privatis non licet judicium Ecclesiæ ejusq; leges oppugnare, ceu intolerabiles noxias, quippe qui obedientiam debitam jure divino Ecclesiæ & ex obligatione per datam fidem, præstare necesse habent. Ad quam obedientiam Legibus DEO & Ecclesiæ debitam cogere, petulantiam coercere & disciplinam Ecclesiasticam, per Consistoria aut Ministeria (illi confessioni dedita, ejusdemque membra, primaria) Ecclesiæ propria, genuina administrare, ad officium Magistratûs pertinet. Quo ipso nemini adimitur licentia, (suo periculo) ex cœtu exeundi, seq; in totum à confessionum formulâ separandi; sed prohibetur separatio partialis à Confessione in doctrinâ, itâ, ut hoc pacto se separans nihilominus velit genuinum membrum hujus cœtus manere, vel medium novum statum inter dissentientes Ecclesias, aut novum Schisma, moliri. Talis disciplinæ Ecclesiasticæ contra degeneres filios, per Ecclesiam aut ejus Collegia, Ministeria,

B

à Ma-

à Magistratu clementissimo administratio plurima secum vehit com-
moda. Nam amorem, fiduciam, ardorem apud DEUM, sine gemitu, &
metu religionis causâ incusso, intercedendi, auget, animos in totum
Magistratui conciliat: ad omnia obsequia promptiores reddit: Simula-
tioni & dissimulationi in Religione fores occludit: Atheismo & Epi-
cureismo rimas obstruit.

THESIS VI.

Difficultas conservandi & progagandi Symbola, maximè in af-
flictâ, pressâ, exinanitâ Ecclesiâ hoc in loco etiam cognoscenda venit.
Politicus status multas mutationis suæ observavit causas, quas col-
lectas ex Aristotele & aliis inculcavit Heiderus, qui in Politicis p. 1025.
seq. 1008. seq. hominum Errorem & persuasionem de jure, æqualitate,
pag. 1014. injuriam, quæstum, avaritiam pag. 1015. ambitionem, su-
perbiam, vim, fraudem, metum, contemptum &c. incuriam, negligenti-
am denominat. Quæ si aquâ lance perpendantur docere nos po-
terunt, non Ecclesiam modò; sed in & per eam Symbola Ecclesiæ ve-
ræ, eosdem pati Manes. Neglectus enim officii in conservatoribus &
propagatoribus, inordinati item affectus intellectûs, voluntatis & ap-
petitûs in deterius, qui mutationis occasionem in formulis confessio-
num præbent, ad corruptionem & destructionem tendunt. Liberti-
nismus credendi, docendiq; hæreses, & schismata, varia in Formulas
confessionum scommata, convitia, maledicta, oppugnationes, con-
tradictiones, & id genus alia innumera parit mala, quæ directè, indi-
rectè, clàm, palàm abrogationem, oblivionem vel procurant, vel
promovent, id quod cultui divino, Ecclesiæ, DEI verbo, & conse-
quenter etiam ejus confessioni noxium est. Plura vid. p. 120. 121. III.
Præfat. Dialys. Hulsemanni. Afflictione & cruce DEUS probat Con-
fessores: tolerantia ejus evadunt victores oratione pro Magistratu
diversæ Religionis. Nam juxta Lyserum in Disp. de Confessione thes.
48. Ecclesia invocatione impetrat Confessionis conservationem, pro-
pagationemqve incorruptam.

THESIS VII.

Contenta in Symbolicis libris communiter assignantur, & ex o-
culari inspectione deprehenduntur, quòd sint præcipua fidei capita,
necessaria scilicet non modò, quæ præcisè Arminianis dicuntur neces-
saria; sed generaliter: sive sint absolutè & simpliciter omnibus talia,
sive etiam pro ratione circumstantiarum, loci, temporis, personarum,
St.

Statūs &c. (quam doctrinam eruditissimè pertractavit Dn. D. Seldius
 Superintend. General. Coburg. Fautor colendus:) & fundamentalia
 dogmata, prout ea Dn. Promotor D. Kromajerus in peculiari dispu-
 tatione enumeravit: Cumq; non parum necessitas dogmatum va-
 riet, alia ratione præcepti, medii, connexi; alia in praxi, &c. teme-
 rarium est asserere omnia necessaria in eis esse proposita, aut de jure
 proponi debuisse, nulla esse præterita, nec præteriri potuisse. Quæ
 autem in eis docentur sunt salutaria, utilia. Leguntur in Symbolicis li-
 bris non tantum theses, antitheses, sed etiam Ectheses, declarationes,
 præfationes, item hypotheses vel applicationes thesium, antithesium:
 Inveniuntur etiam in nonnullis antithesium rejectiones & condemna-
 tiones. Terminus *condemnationis* ab Huttero in Concordiæ concor-
 dis præfatione, & in Formulam Concordiæ, lucem veram nactus est.
 Liceat autem hâc vice idem repetere ex D. Davidis Rungii Disput. 16.
 sup. 1. Corinth. Epistolam p. 626. *Damnare dogma dicimus detrudere
 illi opinionem & laudem veritatis, & tanquam adulterinum, falsum &
 pugnant cum verbo DEI in apertam lucem producere, confutare & reji-
 cere, & Ecclesias omnes, ut sibi caveant, monere. Non solum dogma
 (pergit) in abstracto, sed etiam Doctores, Autores & Propugnatores, per-
 tinaces detegimus; agnoscendos publicè & nominatim, si opus sit, &c.
 Hocq; Scripturæ dictis ibidem roborat; Non tamen (addit) integras
 Ecclesias, in quibus doctrina de DEO uno in Essentia & trino in personis,
 tanquam fundamentum retinetur, simpliciter damnamus, utut seductæ
 sint. Sunt enim ibidem infantes, adulti atq; simplices, falsam doctrinam
 non intelligentes aut negligentes: Sunt etiam seducti, hi tamen non omnes
 in errore perseverant, sed plurimi eorum retento fundamento periculum
 damnationis ab errorum veneno imminens, divinâ adjuti clementiâ, eva-
 dentes salvantur, quasi per ignem 1. Cor. 3. Idem asserit Præfatio Form.
 Concord. Pluribus Gerlachius in Anti-Danæo & universa Luthera-
 na Ecclesia. Lyserus Disp. de Confessione thes. 45. damnatio Confes-
 sionis non est contrâ Scripturam, non contrâ charitatem, non contrâ
 Ecclesiæ consuetudinem. De Ritibus Ecclesiasticis, & Adiaphoris
 Ceremoniis, de disciplinæ Ecclesiasticæ Exercitio legitimo, in aliqui-
 bus Symbolicis Confessionibus decisiones & conclusiones certæ re-
 periuntur.*

THESIS VIII.

Ordo jubet, ut propius ad Esse ipsum Confessionum publicarum
 accedamus, quidq; propriè & specificè quidem constituat Formulam



confessionis Ecclesiae Christi consideremus. Ex Confessione nominis
 DEI nonnulla ad hoc applicabimus: *Thummius* in Decalogum p.85.
Confessio fiat mente & lingua non tepide, aut frigide, aut titubanter,
sed perspicue & aperte Luc. 16. Job. 21. nullis fallaciarum integumentis,
libere: non vis metusve hostilis adigat, non bonum terrenum alliciat, sed
JESUM propter JESUM confiteamur intrepido animo ac magno
spiritu, circumspete, constantissime. Magis succincte *Dn. D. Calovius:*
Aperta, inquit, & intrepida sit confessio, &c. p. 11. Critici sacri. Digna
 etiam notatu sunt verba *Sibellii* in quaest. 99. Meditationum Catechismi
 super hac re. *Confessio, ait, sit vera & constans: Vera, veritati divinae*
consona, non contraria: sincera, non fucata: Clara, plana & perspicua,
non obscura, dubia, incerta, verborum inflexione, immutatione & involu-
cris fucatisq; integumentis atq; ambiguitatibus involuta, quae non aliter ac
cera liquefacta igne, in quamcumq; formam mutare velis, mutari possit.

THESIS IX.

Ex quibus apparet, ad Formulæ confessionis Ecclesiasticæ consti-
 tutionem in *Esse formali* duo concurrere: *Externum* unum, *Intrinsicum*
 alterum. *Externam* formam dant verba, *Internam* rerum sententiæ &
 sensus verborum. *B. David Rungius* in I. Cor. I. *Confessionis, inquit, for-*
mula sit simplex, sincera, id est, aliena ab omnibus corruptelis & ab omni-
bis insidiosis involucribus verborum & phrasium. Idem *svadet Maresius* p. 5.
 in præfatione ad Exegesin Confessionis Belgicæ thes. II. *Quantum fieri*
potest, verbis perspicuis, in quibus omnis subdola, & in utramque partem
versatilis ambiguitas evitetur, quam amarunt Arrius, Pelagius, aliiq;
Remonstrantes, in Præfat. Declarationis præscribunt Confessoribus:
quod divinis phrasibus uti debeant, quodq; hæc sufficiant; sed in eo maxi-
mopere fallunt. Propter novorum enim dogmatum inventores &
Sophisticam verborum, semper Ecclesia novas phrasas & vocabula ju-
re civitatis donare coacta est, ex libertate Christianâ pro necessitate
præsentis. Ex antiquitate nota sunt vocabula, Persona, ὁμοσῶια, rea-
liter, contra Pontificiorum Transsubstantiationum voces in, cum, sub
pane item Organum oris, ad evitandam ambiguitatem, sub mandu-
cationis sacramentalis acceptione. Plura vid. p. 119. in præfat. Dialys.
D. Hulsemanni.

THESIS X.

Sensus adhibitæ phrasium & verborum apud Confessores usita-
torum literalis & proprius à Confessoribus intentus, accipiendus est pro
verâ genuinâ mentis intentione confitentium, sensusq; ille unus sit oportet
sibi

sibi conformis, uniformis, non contrarius. D. Calovius p. 147. de Persona Christi: Non importatus, sed exportatus, sit ille sensus. Neq; enim licet ex privatâ intentione utut bonâ, naturalem verborum sensum confessorum falsa & dura docentium, contrâ mentem & intentionem autorum, trahere in bonum & saniozem sensum, uti Conradus Bergius in praxi Catholica contra Lutheranos disputat; Sic enim vis verbis & veritati verborum infertur; Neq; præeligendus est sensus verborum confusus & generalis præ sensu verborum speciali, & determinato, alicujus confessionis, sed hic præ illo, ut demonstrat Dn. D. Danhauer. im Schulrecht/ contra D. Reinboth. Hac ratione, non qui verba Symboli, (ut Schlichting Symboli Apostolici) sed qui sensum ejus recipit, Socius confessionis est dicendus, licet à participatione beneficiorum confessionis publicæ, (Pacis scil. publicæ,) non statim excludendus. In horum societatem enim æquè ac genuinus doctrinæ sociusq; non in foro Ecclesiæ, sed in foro Politico admissus & receptus esse potest. Dn. D. Danbauer. im Reformatem Salve p. 224. 226. 227. Nec is, qui promiscuè aliquem sensum verborum recipit, p. 229. l.c. sed ab autoribus intentum, socius est. Qui enim sensum hunc recipere detrectant, in salutis periculo versantur & independentes appellantur Vid. porrò p. 401. l.c. Danb.

THESIS XI.

Sed scrupulus hîc injicitur, qui eximendus. *Si nimirum sensus propter contrariam interpretationem Doctorum, eidem Confessioni additorum redditus sit dubius, & obscurus, unde verus, certusq; autorum & confessorum intellectus petendus. Communis omnium cordatorum, praxi quotidianæ conformis, sententia est: ex aliis scriptis tam prioribus, quàm posterioribus, non unius, sed plurium, non modò publicis, sed & privatis Scriptoribus, quibus mens confessorum perspecta esse potuit, investigandum esse, verum & certum sensum: Ita, contra-Remonstrantes, Remonstrantium Scripta perlustrata judicârunt pro explicationibus recipienda esse. Si autem contingat, ut certus sensus per media allegata, ob continuam partium contradictionem, & propter verba ambigua ac flexiloqua, non determinari possit, utrumq; contradictorium sensum sub ambiguitatibus retentum esse, & retinere voluisse scriptores decretorû, ex contrariis votis, & ex contradicentibus sociis, probabiliter ad minimum colligendum esse, cordati largientur. Cur enim non liquidârunt melius sententiam suam? Talis erat Confessio Interimistica, aliâq; minùs perspicua,*



quæ ambiguis phrasibus mentem confessorum occultant, & in quibus controversiarum motarum & agitatarum nulla definita extat decisio, sed Cothurni instar sunt fabricatæ. In his & similibus casibus novo & prioribus superaddito opus est libro Symbolico, quò fixus & certus controversæ quæstionis status & decisio contineatur. Qui sensus Symbolicæ confessionis veræ Christi Ecclesiæ, non alius esse potest, quàm indubitato divinus & S. Scripturæ congruus. Unde etiam, si propter Confessionem huic sensui contradicentem à Seducitoribus substitutam disputatio oriatur, de veritate Sententiarum in Formula Confessionis publicæ, (quemadmodum de Niceno & Ariminensi Symbolo) non recurrendum est ad antiquitatem Ecclesiasticam ejusq; consensum, sed rectà ad ipsam S. Scripturam, ex eaq; conformitas cum Symboli sensu deducenda & demonstranda erit. Ita docuit B. Hülsemannus p. III. in præfat. Dialyseos, comprobante Lutherò p. 139. l. c. Idem Melanchthon contra Politicos asseruit Tom. I. Operum p. 392. consentit Maresius pag. 5. in Præfat. ad Exegesin Confess. Belgicæ. *Omnes Confessiones Orthodoxæ in Scripturis sacris & Christianismi articulis fundamentalibus, tanquàm fructus in semine, mensuratum in mensurâ, conclusiones in præmissis continentur. Hoc respectu* (pergit p. 6. thes. 15.) *Confessiones divinæ quidem dici possunt, quoad materiam & res expressas, quatenus & quousq; consentiunt S. Scripturæ; sed tamen quoad formam & modum enunciandi, scripta sunt humana.* Hæc ille.

THESIS XII.

Methodi & temporis ratio exigit, ut properemus edisserere de scopo, usu & officio Symbolicorum librorum & Formularum Confessionum publicarum à Confessoribus piis intento. Plures & diversi, subordinati tamen, Symbolorum Confessoribus præfixi sunt fines, ratione DEI, sui ipsius & Proximi vel totius Ecclesiæ. *Formule* Confessionum publicarum non obtruduntur, tanquàm norma credendorum (hic enim honor verbo DEI unice reservatur) per Symbola, p. 1363. D. Hülseman. im *Gewissenswurm* Calixti. *Neq;* scopus fuit Ecclesiæ per Symbola & decreta de fide, catalogum omnium & singulorum articulorum ad salutem creditu necessariorum præfinire; sed veritatem & necessitatem eorum dogmatum, quæ impugnabantur, pro qualitate adversariorum & controversiarum determinare, & calumniosè sibi imposita per confessionem publicam depellere, & à se averruncare, (D. Hülsem. p. 131. in præfat. Dialyseos, conf. Præfatio de-
clara-

clárationis Remonstrantium,) Testimoniumq; publicum fidei & doctrinæ suæ coram Ecclesia perhibere, ut sint signa obligationis & tesserae consensûs & concordia inter se invicem, & notæ obligatoriae ergâ DEUM, Christum veramq; ejus Ecclesiam, ex quibus membra illius se invicem agnoscunt, &c. vid. Exordium corporis doctrinæ Pomeranicæ aut Philippi. Eâ fini etiam conscriptæ sunt Formulæ Confessionum, ut ex infinitis & inexplicabilibus labyrinthis suffragiorum ex omni antiquitate conquirendorum & conciliandorum ad brevem & facilem *consensus servandi* viam, fluctuantes revocarentur, p. 120. l. c. Hülsem. Ut sint principium conventionale & positivum particularium Ecclesiarum, conservandi inter se formam doctrinæ publicæ, p. 321. l. c. Dialys. Plures ex præfatione Form. Concord recenset idem laudatus Theologus in Præfat. Dialys. p. 132. seq. Quas intentiones ad Compendium redegerunt Dn. Theologi Dantiscani in censuris orthodoxis, p. 54. Sunt uno verbo, pacis & hypotyposeos sanorum verborum consilia, quorum scopus est averruncare rixas litigiosorum hominum, propagare puriorem doctrinam &c. Plura qui cupit evolvat Dn. D. Calovium in Calixtino Syncretismo p. 152. seq. p. 25. 20. 22. D. Hülsem. in *Gewissenswurm* p. 495. 685. 745. seq.

THESIS XIII.

De Officio, usu, & utilitate Symbolicarum Confessionum cum fructu legi potest Dn. D. Calovius in Critico pag. 178. & pag. 113. Dialys. D. Hülsem. pag. 322. seq. Tesserae sunt Confessiones dignoscendi orthodoxos ab heterodoxis, veritatem à falsis doctrinis, præcludunt viam privatæ opinionis & explicationis ingenii Novatorum. Confessionum publicarum beneficio vera ac falsa Ecclesia tanquam signo quodam publico & in sensus incurrente internosci potest. *Forsterus* Disput. in Symbol. Apostol. Decad. I. problemate 10. Formulæ publicæ Confessionum, fideles Doctores quique eis adhærent, in Imperiis, in quibus autoritate publicâ, sunt privilegiatæ, tuentur eosque contra delationes malevolorum & hostium apud Supremum Magistratum, si de Excessibus, vehementia, nimio Zelo, abusu officii in Suggestu, actione injuriarum &c. accusentur, tutos reddunt, ac in libero Exercitio Officii & Religionis defendunt. Cujus rei exemplum nobis præbent *Saxonici* Theologi contra Jesuitas in defensione Pupillæ vel Augustanæ Confessionis. *Neque enim sine Tyrannide & injuriâ in Doctores Augustanas, (qualis in Recessu Pacis prohibita est) ejici & ab officiis removeri possunt.*

possunt, quamdiu firmiter retinent Augustanæ Confessionis tanquam Symboli in Romano Imperio privilegiati, sensum. Hæc securitate tamen excidunt & seipsos privant, qui Symbolicas Confessiones tanquam sanioris doctrinæ typum, non in omnibus observant, sed hinc inde deflectendo deficiunt, novitatibus indulgent, & terminos ac limites priscae veræque doctrinæ Confessionum movent immutantque, nec Resipiscentiæ locum relinquunt, aut redeundi voluntatem habent. *Maresius* quatuor Confessionum publicarum usus in Ecclesiâ recenset, pag. 16. in Præfat. ad Exegesin Confess. Belgicæ. Juxta ipsum enim 1. discernunt orthodoxos ab hæreticis: 2. ad justificandam Ecclesiam contra calumnias adversariorum: 3. ad doctrinæ veritatem & unitatem retinendam: 4. ad libertatem prophetandi vel Vorstianam (Arminianorum item) intrâ limites continendam faciunt. Quam in rem liceat hic etiam superius dicta reassumere & præfationem Declarationis Remonstrantium conferre. Notabilia sunt D. Calovii verba in der nöthigen Ablehnung contra Calixtum pag. 116. Ich erinnere zum Beschluß dieses einige/ daß auch unsere Kirchen zwar geschehen lassen/ daß die Concordia Ecclesiastica auff die Symbola und Confessiones gegründet werde. Ast non separate, cum Calixto, sed conjunctim hæc intelligantur & simul sumantur. Sic etiam Confessiones publicæ recte dicuntur medium & principium *liquidationis Doctrinæ*, pag. 149. de Persona Christi D. Calovius.

THESIS XIV.

Sunt qui Formularum Confessionum publicarum, cum essendi & componendi, tum discendi, approbandi & subscribendi, necessitatem in dubium vocant, vel etiam planè negant. Inter quos nomen suum profitentur Remonstrantes in Vedelio Rhapsodo, in præfatione Confessionis, nec non Novi Prophetæ; quibus os obturavit Vedelius in Arcanis Arminianismi & R. Ministerium Lubecense im ausführlichen Bericht von der neuen Propheten Lehr und Glauben/p. 952. cujus mentionem quoque injicit R. Ministerium Dantiscan. in Syncretismo p. 34. Necessitas quidem non est absoluta; sed secundum quid, respectu errorum illorum, à quibus tanquam à pabulis venenatis arcendi sunt fideles, fatente Maresio th. 16. p. 6. præf. in Exeges. Confess. Belgicæ. Opus esse hodie aliis Symbolis, quam olim propter novas hæreses, confitetur Repetitus consensus fidei Lutheranæ (à Theologis Lipsensibus & Wittebergensibus adornatus in Antapologia Præfatione) secundum Augustan.

gustanam Confess. in Tomo Witteb. Consiliorum p. 930. seq. Causas & gradus necessitatis expressit Formulæ Concordiæ præfatio; Unde D. Hulsem. in præfat. Dialys. p. 132. seq. transplantavit. Quanta fœcordia in cognoscendis Symbolicis libris, & ignorantia in juvenibus & senioribus sit, præfatio in Syntagma Confessionū ad Mensam Solis exponit. Moderna praxis etiam Scholasticorum in Scholis testis est, quòd non à primis incunabulis post Catechismum, Confessionum publicarū Syntagma evolvatur, & discipulis Theologiæ inculcetur; sicuti tamen oportuisset fieri (p. 240. in Isagog. Theol. Calov.) antequàm ad Locos Communes Theologicos admitterentur discipuli. Olim aliter & actum esse & alibi aliter agi monumenta & relationes produnt, ut & Examina Ordinandorum hodiernis non ubiq; similia comprobant. Eadem quoq; si non major necessitas incumbit auditoribus & Ecclesiæ veræ membris approbandi & subscribendi; Doctoribus verò docendi eadem dogmata & phrasas ac interpretandi easdem. Ad tales enim singuli separatim obligantur. Nec rogabatur particularis, an velit pro Symbolo habere, aut quis authenticus interpres (p. 135. Hulsem. in præfat. Dialys.) an è re item Ecclesiæ futurum sit usurpatio novæ Interpretationis (p. 142.)

THESIS XVI.

Eadem quippe intelligendi aut percipiendi sensus Symbolorum ac interpretandi Confessiones, norma (scil. Verbum Dei scriptum, non consensus antiquitatis) retinenda erit: nec quisquam judicalem interpretandi facultatem, quam præter ministerialem nõ accepit, sibi arrogare potest, p. 142. 143. Adstrictus quoq; est per obligationem Subscriptionis Doctor, ut non discedat à phrasibus in libris Symbolicis præscriptis. Licet enim adhibere possit etiam alias; homogeneas tamen esse eas oportet, non contrarias, p. 119. l. c. præf. Hulsem. Multominus licitum aut concessum est, rejectos modos loquendi reducere, & cautè loquendi formulas præscriptas deserere, aut reprobare. Nullo jure quisquam resilire à Confessionibus potest, (p. 19. Antapolog. Witteberg.) nec errores ab eis notatos & damnatos excusare, aut ab eis absolvi inculpatos, aut de veritate in eis assertâ quicquam remittere, p. 615. Antapol. Witteb.

THESIS XVII.

Circa subscriptionem Formularum Confessionum etiam hoc notandum: ante subscriptionem omninò subscripturis licere inquirere in Formulas Confessionum & examinare eas, an verbo DEI convenient; non item post approbationem & subscriptionem, si quidem membrum secundum confessionem haberi velit. Neq; enim si vel maxime scrupulus suboriatur, oppugnanda est Cõfessio; sed exemptio ejus ministerio

C

&

& Symmyftis committēda, inq; silentio & spe in confessione persisten-
dum est, ne sibi soli sapere velle videatur, contra Remonstrantium pra-
xin rectē monuit Maresius p. 7. præfat. ad Exeges. Confess. Belgicæ; Se-
cūs si quis fecerit, & nomen membri Ecclesiæ, cuius illa confessio est, &
jura amittit, p. 322. Hülsem. in Dialys.

THESES XVIII.

Nec juvat petere correctionem & provocare ad Revisionem. Licet enim For-
mulæ Confessionis, quoad nonnulla, (*non quidem dogmata,*) veræ revisioni &
emendationi sint obnoxie, (vid. Mares. l. c. p. 6. th. 16.) quæ Reformatio quan-
doque reservata est, ut in Pomeranorum Ordinatione Ecclesiasticâ: non tamen
uni membro, aut statui uni, mutationem instituire liberum est; id quod contra
Neostadiensem admonitionem deduxit Dn. D. Calovius in Critico sacro, p. 13.

THESES XIX.

Freqvens licet & vulgaris sit multorum Subscriptio cum clausulis, *certo modo,*
quatenus rectius à nonnullis explicata, &c. quarum formularum Hunnius decem
aperuit; calculum tamen & applausum non merentur ab Ecclesiâ; sed dignam
reprehensionem incurrunt siue expressæ limitationes sint additæ, siue in mente
reservatæ. Non vacat culpâ exceptio prætensa, *quatenus cum S. Scriptura con-*
sentit, subscriptio fiat. Quicquid enim ab omnibus præsuppositum est & præsup-
ponendum, quòd cum S. Scripturâ conveniat, non tacitè in dubium iterum est vo-
candum. Hæc enim ratione etiam Concilio Tridentino ipsiq; aded Alcorano
subscribi posset (p. 109. 110. Dialys. D. Hülsem.) si, loco Categoriæ approbatio-
nis, requisitæ conditionalis & restricta substituatur, qualis cum sit captiosa & illu-
soria, nec in Ecclesiasticis probāda, nec è Politicis Regi Angliæ acceptari voluit
p. 113. l. c. Per talem siquidem subscriptionem & explicationem nunquam Regni,
aut Ecclesiæ tranquillitas constare potest, p. 116. l. c. Plura damna & incommoda
vide p. 120. 121. Pereat ergò talis Subscriptio & Subscriptionis Interpretatio do-
losa. Si quis autem particularis Doctor talis vel similis dolosæ Subscriptionis &
Obligationis suspicionē incurrit, quid factu est opus? Respondeo primùm secun-
dum libros Symbolicos examinandus erit, dein secundum particularia Scripta. Exa-
men autē tam ex privatis manu-scriptis, & colloquiis familiaribus, quam ex scri-
ptis publicis institui potest, se junctim & conjunctim sumptis, p. 160. Dialys. Hül-
sem. Quod ipsum sanè cordatus & benè conscius Theologus non detrectat, qui si
sustinuerit Examen, censendus est membrum Ecclesiæ particularis, p. 135. 137. præf.
Dialys. p. 322. Dialys. Ad hanc verò classē illusoriarum aut suspectarum subscri-
ptionum non referendum est, quando ambiguis formulis subscribere recusarunt
aut declinarunt Pomerani offerentes se ad subscriptionem, in quantum Ecclesiæ
aliquando definiverit contenta, nondum determinata vid. lib. 3. Chron. Cramer.
p. 118. 142.

THESES XX.

Quanti faciēda Librorum Symbolicorum autoritas & obligatio ex supe-
rioribus maximam partem liquet. Quod superest, sciendum: Autoritatem S. Scri-
pturæ longè præferendam esse autoritati Symbolicorum librorum. Nam 1. illa
absolutam obtinet, hæc limitatam. 2. Scriptura est instar fontis puri, & absq; cœ-
no fluentis, Symbola instar rivulorum aliquando humano musco permixta. 3. Illa
immediatè à Deo, hæc mediatè. 4. Scriptura vicem gerit normæ normantis, Sym-
bola testium tantum partes sustinent. 5. Scriptura nativum præbet sanæ doctrinæ
sensum; Symbola tantum ostendunt consensum. 6. Scriptura gignit in corde fidē;
Sym-

Symbola eliciunt fidei ex ore confessionem. 7. Scriptura recipitur cum credendi necessitate; Symbola cum probandi & iudicandi libertate, secundum Augustinum. Itá D. König in Casibus Conscient. Catechetices pag. 113. Conformia Huterus in librum Concordiæ scripsit p. 41. Ante illos etiam Vorsterus in Symbol. Apostol. Decad. I. probl. I. Non sunt etiam ejusdem autoritatis & generis Symbola inter se collata; vetera scilicet & recentia. Eadem quidem certitudine & testificandi, virtute pollent; sed non eandem autoritatem & antiquitatem spirant. Libri ergo Symbolici & Symbola fidem merentur secundario quatenus scilicet cum S. Scriptura consentiunt, & ut consentientia fuerunt acceptata: licet non sine iudicio; sed postquam ex collatione cum S. Scriptura consentientia iudicantur, non ab alterius conscientia etiam non lecta, nec intellecta; sed à propria Conscientiâ talia deprehensa. *Maresius* l. c. thes. 16. *autoritas, ait, confessionum, si materialiter considerentur, quatenus res divinas continent, censenda est divina, & omnes in conscientia obligans; sed si formaliter considerentur, non alia est, quam Canonica & Ecclesiastica, in foro externo expressè obligans, eos qui munera docendi suscipiunt, quod illi subscripserint in óπλοvoία, Testimonium; tacitè verò illos, qui docentur, quod sub illâ communione nati, venati ad Sacramenta admitti;* Hæc ille.

THESIS XXI.

Privatorum Doctorum, vel Particularium, aut Collegiorum Academicorum scripta publica in commodum Ecclesiæ elaborata, quæquam suam mereantur laudem; non tamen comparanda aut æquiparanda sunt Formalis Confessionum Ecclesiæ totius, quæ ab integrâ Ecclesiâ sunt receptæ & approbatæ (ad quas, quia obligatoriæ, provocare licet,) communis vox totius corporis Ecclesiastici, commune Testimonium, tessera & vinculum audiunt. Non tamen solæ Confessiones Ecclesiasticæ sententiam & doctrinam cœtus alicujus depingunt; sed etiam huc pertinent singulorum, multorum præcipuorumque Doctorum ejusdem cœtus scripta publica. Si enim ipsorum doctrina non reprehendatur à cæteris, pro publicâ ejusdem cœtus, meritò habetur. Secus fit si alii dissensum suum publicè testentur. Tunc enim inter privatas opiniones particularium Doctorum recensentur, uti v. g. circa opiniones Alstedii de Chiliasmo, & Piscatoris de negatâ propter obedientiam Christi activâ, justificatione, (quem errorem in Piscatore Synodus Gallia Vapincensis 1603. damnavit,) contingit. Nullâ proinde specie veritatis negari potest, ex illis etiam disci, proponi explicari & probari posse dogmata ejus Ecclesiæ, cujus confessionibus addicti & obligati se profitentur. Nolo hæc fusius deducere, ne actum agere videar. Cætera enim Dn. D. Calovius de Personâ Christi, satis superque, ingenio docili, demonstravit.

THESIS XXII.

Pluralitas & varietas Formularum Confessionum quam tantoperè deprædicat Syntagma Confessionum, crimen habet nullum; sed dona diversa ex eis agnoscere datur. Aliud corpus doctrinæ recipit Pomerania: aliud (Manuale Prutenicum,) Borussia: aliud (corpus scilicet Julium) Ducatus Brunsvicensis, & id genus plura ubique prostant. Omnia sunt ejusdem Ecclesiæ libri; sed in eis doctrinæ perpetua harmonia & concordia. Quæcumque verò formulæ Confessionum se mutuò oppugnant, in quibusdam etiam damnant, in multis, & quidem non levis momenti, capitibus, contrarios sensus fovent, contradictorias phrasès & modos loquendi pugnantes adhibent, illæ sunt, stantibus contradictionibus illis, planè irreconciliabiles, cum utrasque per omnia simul esse veras, ob contradictiones, ex rei natura sit impossibile. Quare etiam stante separatione certum, & opposi-

positione confessionum pro unius veræ Ecclesiæ & Religionis Confessionibus venditari, obtrudi aut acceptari non possunt: nec etiam communicatio fidei, aut societas doctrinæ, una eademque inter illas, quæ tales prætendi potest aut debet: nec non in alteram imperium aut iudicium sibi vindicare, pro lubitu interpretationem arrogare, alterius partis conscientiam ex sua mensurare, suæque subicere potest; sed decet omnino de veritate, pietate, charitate, pace, cum altera parte ex scripturis collationem instituere, ultra revelatæ voluntati divinæ sit conformis, vel difformis.

THESIS XXIII.


Coronidis vice etiam sequentia de autoritate & plurali diversitate confessionum consideranda veniunt. Praxis Ecclesiæ testatur, omnibus Provinciis & Regnis, in Examinibus & inquisitione suspectorum Doctorum & doctrinæ, quod interrogatio primum facta sit de conformitate & difformitate doctrinæ suspectæ cum Symbolo Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, quibus subscriptione aut juramento se obligarunt vid. *Athanasius ad solitariam vitam agentes, ad Epictetum, ad Alexandrinos. Ruffin. Histor. lib. 1. c. 6. Theodoret. l. 1. c. 13. Esag. lib. 12. cap. 4. Concil. Ephesin. apud Bin. fol. 162. Chalcedon. ibid. f. 160. Vigil. lib. 5. Contra Eulychen.* Neque libri Symbolici servitutum credendi, tanquam jugum conscientis imponendo superinjiciunt: neque Tyrannide eas premunt, sicut falso Remonstrantes Symbola accusant: quia inquisitio in conformitatem Libri Symbolici cum Scripturâ S. antè subscriptionem libera est, licet non item post eam. Quemadmodum etiam in contractibus, in votis, quæ primò sunt libertatis, postea sunt necessitatis. Attamen confessionum formulæ subscriptæ, duplicant obligationem, quæ post Deum, secundum Scripturam, sese etiam Ecclesiæ aut Magistratui subiciunt receptores Symbolorum: se velle scilicet admittere & recognoscere iudicium secundum libros illos, quibus subscripserunt. Deinde subscriptio facta præscindit effugium, & obstruit rimas privatæ, cujuscunque interpretationis, de sensu Scripturæ pag. 495. seq. D. Hulse. in *Gewissenswurm Calixti.* Varietas autem Symbolorum & priorum multiplicatio per nova non auget numerum credendorum, nec insuper novos articulos Ecclesiæ obtrudet; sed sunt expositiones priorum & decisiones, à litigiosis noviter & recenter motarum controversiarum, ac in dubium vocatorum articulorum. Id quod *Maresius*, sequentibus exponit verbis in *Exegesi Confess. Belgicæ, p. 5. per confessionem novam non crescit articulorum numerus, sed suscipitur eorum explicatio & magis succincta, ad noxios errores applicatio (conf. p. 3.) ut fraudibus hæreticorum irretur obviatur, causa sunt novæ formulæ, & ut Orthodoxi ab aliis discernerentur.* Hæc ibidem ille.


THESIS XXIV.

Progrediendum foret ad c. II. de libris Symbolicis Ecclesiæ Lutheranae in actu exercito (quæ hætenus in signato consideravimus) item ad c. III. de Pomeranica Ecclesiæ libris Symbolicis & eorum exacta congruentia cum Formula Concordiæ in omnibus partibus & articulis, apparensque discrepantia de Libero Arbitrio & definitione Evangelii per conciliationem è medio tollenda; sed hæc propter occupationes differimus in aliud tempus & occasione reservamus meliori. DEO sit laus & gloria pro revelatione veritatis suæ in libris Symbolicis Ecclesiæ. Sedens à dextris, hoc charum ex manibus suis acceptum donarium in hac mundi senecta ad finem mundi conservet in sui nominis gloriam & Ecclesiæ emolumentum per & propter Dominum nostrum

JESUM, Amen!

F I N I S.





B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Farbkarte #13

A REPETITIO
Doctrinae

ex
I & Theologo-
m scriptis

DE
SYMBOLI-
FORMULIS CON-
M PUBLICIS EC-
LISTI IN GENERE,

Reverendæ Facul-

Academia Lipsiensi in Char-

projecta.
ordinarii pro gradu Do-
impetrando
exhibita.

atione Rev. Facultatis publi-
aris facta.

a
E COLBERG,
Civitatis Colbergensis
omerania.

PSIÆ,
- ERICI HAHNII.
DC LXVI.

